



QK. 254, 21.

IV, 40.

M

H

OK. 254.

IV, 401

ELOGIVM  
M. JOANNIS GODOFREDI  
LESCHNER TI

HISTORIOGRAPHI QVONDAM SAXO-GOTHANI, AT-  
QUE PROFESSORIS EIVSDEM GYMNASII CLARISSIMI BIBLIOTHECA  
SVA POST VITAM SUPERSTITE

SCHOLAM LVCCAVIENSEM

EGREGIE ORNANTIS  
PVBLICE PROPONIT

ET

PATRONOS AC LITERARVM FAVTORES

AD ORATIONES

EIVS

MEMORIAE SACRAS

Ips. Idib. Februar.

A. O. R. ab 15 CC LVI.

BENEVOLE AVDIENDAS

DEMISSE AC PER OFFICIOSE INVITAT

GOTTLOB HENRICVS SCHMERBAUCH R.

LVBBNÆ

TYPIS JOHANNIS MICHAELIS DRIMELII.



ERGÖTTA  
MOLVIVIS GODDORIDI  
LUSCHINERI

ALLEGORIAE DE MUSICA ET COMICO TRAGICO  
SCHOLIA ET COMMENTARII  
AD TITULUM LUSCHINERI

SCHOLIA ET COMMENTARII  
AD TITULUM LUSCHINERI

TRIONVS AC LUSCHINERI FESTIVITAS  
AD OLYMPIAM

MUSICOLOGIA LUSCHINERI

LIBERUS ET LIBERTATIS

A. Q. S. DE P. CO. TAV.

DISCOURS A LA SCIENCE

DISCOURS A LA SCIENCE

COLLOQUE DE MUSIQUE D'UNIVERSITE

L'ADAGE DE MUSIQUE

THESE D'UNE ECOLE MUSIQUE DE PARIS





Q. D. B. V.



**I**nsignis est utilitas, quae ex Bibliotheca, usibus publicis scholasticis, dicata in scholas, sive docentes, sive discentes, species, redundat, \* qua de causa, ab antiquissimis temporibus, ut scholae istis instruerentur, operam dederunt, literarum statores. \*\* Fecerunt hoc, et nisi me fallunt omnia, primi fecerunt Aegyptii: Hos imitati sunt Graeci: Graecos, prout in reliquis, quae ad augenda literarum studia faciunt, Romani: Romanos, reliquas praetereo ac relinquimus gentes, veteres Germani. Variam quidem Germanorum Bibliothecae scholasticae, in coenobiorum clau-

A

stris

\* M. CHRISTIAN GOTTLÖB KAENDLERS Rector. Sangerh.  
Abhandlung von Schul-Bibliothecken Lips. 1737. Sect. II. §. 2.

\*\* FALSTER de uariarum gentium Bibliothecis Scholast. Fleusb.  
et Lips. 1720.

stris assertiatae, in summa medii, quod vocatur, aevi, barbarie, subierunt fortunam. Quasdam belli flamma vastat, nonnullas hostiam rapinae distraxerunt, alias aquarum eluuiiones corruperunt, aliae, alia ratione, sunt dissipatae. \* Verum cum doctrina elegantior, quinto decimo seculo, in Europa, restitueretur, et, non ita multo post, sacra restaurarentur, exstructae sunt scholae, quarum celebriores Bibliothecis sunt ornatae. Communibus quasi studiis, notaque liberalitate, certare, Musarum Patroni, videbantur, praesertim cum, et Sacrorum, et literarum humaniorum, restaurator, Diuus LUTHERUS, omnibus Scholarum Patronis, ut illas Bibliothecis perficerent, auctor existeret atque suasor. \*\* Est hac in re Dei, summi

\* GODOFREDI HECHTI, huius olim Lycei Rectoris longe meritissimi Germania sacra et literata. Vitemb. ccccxxvii. Part. II. Libr. IV. c. IX. et multis alijs in locis.

\* JO. HENRIC. von SEELEN, *Lutherus de scholis optime meritus*, sive, de praeclaris rebus, quibus Lutherus Scholaris ornauit. Flensburgi Ao. cl. lcc xvi. Accedit Consilium B. LUTHERI de Bibliothecis in gratiam scholarum ergendis, ex Tom. II. Altenb. p. 804 seqv. in der treuherzigen Vermahnung an die Burgermeister und Rathsherrn aller Staedte deutsches Landes, dass sie Christliche Schulen aufrichten und halten sollen. De Bibliothecis scholasticis, quae dixit, variis licet in scriptis iam reperiantur, adiiciemus. Erstlich sollte die heilige Schrift, beyde auf lateinisch, griegisch, Ebraeisch, und deutsch, und ob sie noch in mehr Sprachen waere, darinnen seyn. Darnach die besten Ausleger, und die Aeltesten, beyde Griegisch, Ebraeisch und Lateinisch, wo ich sie finden koennte. Darnach solche Bücher, die zur denen Sprachen zu lernen dienen, als die Poeten und Oratores nicht angesehen, ob sie Heyden, oder Christen, waren, griegisch, oder lateinisch. Denn aus solchen muss man die Grammatic lernen. Darnach sollen seyn die Bücher von denen



mi scholarum statoris, ac conseruatoris, proutidentia, omni,  
gloria, et praedicatione, efferenda. Eius enim beneficio,  
ac munere, scholasticae bibliothecae, partim ab exiguis  
profectae initii, liberalitate literarum fautorum, ad bene  
merendum propensiorum, redditae sunt locupletiores,  
partim in haud patricis scholis nouae, legatis pie factis, sunt  
conditae. Eum quoque in finem hoc beneficii Patroni sem-  
per egerunt, ut, ad posterorum commoda, iuuentutis,  
bene educandae, rationem haberent.

Scholis his, Bibliotheca publica gaudentibus, di-  
tina nunc bonitate, nostra annumeratur. Nam Praenobi-  
llissimus, Amplissimus atque Praeclarissimus Vir, JOAN-  
NES GODOFREDVS LESCHVERTVS. S. S. Theo-  
logiae Candidatus, atque LL. AA. Magister, Ordini phi-  
losophico Vittebergensi quondam Adjunctus, postea in Il-  
lustri Gymnasio Gothano Professor Classis selectae optime  
meritus, ac tandem Principis serenissimi Gothani Historio-  
graphus celeberrimus, in testamenti tabulis Lyceum no-  
strum perbenigne respexit, suamque illi Bibliothecam li-  
beraliter legauit. Est religiosum et solempne pietatis, gra-  
tique animi, genus, quod bene meritorum memoriam  
sanctam conseruat, et ad omnes posteros iuuiolatam. Haec  
religio et pietas nos quoque excitat, ut VIRI huius, im-  
mortaliter de Schola nostra meriti, non Luccaiae solum,  
quae eius olim fuit altrix, renouemus memoriam, sed  
publico etiam, perinde ac fieri par est, monumento, con-  
secremus. Par quidem tantae virtuti, tantaeque liberali-  
tati, nostrum non erit elogium, nec meritorum magnitu-  
dini

## A 3

---

denen freyen Künsten, und sonst von alleu andern Künsten --  
Mit den fürnehmsten aber sollten seyn die Chronicen und Hi-  
storien, wasserley Sprachen man haben könnte, denn dieselben  
wunder nüze sind, der Weltlauf zu erkennen und zu regie-  
ren, ja auch Gottes Wunder uud Werck zu sehen.



dini verba respondebunt, pie tamen ac religiose, quae de  
uita \* ac meritis Eius in rem publicam literariam nobis in-  
notuerunt, exponemus.

Hic itaque LESCHNERTVS natus est optimis pa-  
rentibus, Anno instauratae, a Christo, Salutis, millesi-  
mo sexcentesimo octogesimo primo Prid. Calendas Decemb.  
Dahma, quam ortu suo illustravit, hunc sibi uendicat,  
ac eo loco numeroque habet, ut talem, orbi literato, ui-  
rum genuisse, gaudeat, uehementerque laetetur. Patre  
usus est, IOANNE IACOBO LESCHNERTO, Scho-  
iae Dahmensis Rectore, qui pietatis, honestatis ac dili-  
gentiae, in pubem scholasticam cognitae, uirtutibus, me-  
moriam sui commendauit. Matrem habuit ANNAM  
CHRISTINAM, quam Lucina fecerat, BEICHIAM. Est  
Dei immortalis magnum beneficium, nasci a parentibus  
honestis, maius uero illos habere, qui ipsi prima pietatis  
ac uirtutis rudimenta tenellae aetati instillare, ac illam ar-  
tum liberalium perdiscendarum ardore possint incendere.  
Edocatur hoc ipsum, omnis ingenii, et doctrinae prin-  
ceps, Plato, Permagni, inquit, *interest, ita pueros institui, in*  
*primis a parentibus, quo in bonis rebus delectationem capere assue-*  
*scant. Alias enim esca, qua ad malum inuitantur, est uoluptas.*  
Hunc primum studiorum humanitatis gustum, quo puri-  
orem, ex paterna institutione, habere potuisset, Noster  
JOANNES GODOFREDVS, eo flebilius illi accidit, ut  
quartum agens aetatis annum, patrem, ad sepulchrum ef-  
ferri, magis sentiret, quam intelligeret, cuius sane pre-  
matura mors, nemini potuit intempestiuor euenire, quam  
huic, et fratri minimo natu, pueru, in cunis adhuc, ua-  
gien-

---

\* Breuiter Imaginem uitae Eius expressit Dn. D. CHRISTIAN  
GOTTLIEB JOECHER, in dem allgemeinen Gelehrten  
Lexico Lips. Tom. II. cl. 10 cc. l. Art. LESCHNERT. p. 2394

gienti. Humanis enim rebus, in ipso virilis aetatis flore,  
quinque scilicet et triginta annos, et tres dies natus, ere-  
ptus est vir, de instituendis, atque erudiendis adolescen-  
tulis, ad maiorum instituta, \* bene meritus, suisque, et  
omnibus bene animatis, eo tristius desiderium reliquit,  
quo minoratu dignior Eius adhuc obitus, tum ob singu-  
lares de divina prouidentia sermones, tum ob mentis praec-  
fagationes uidetur. \*\*

Mortuo patre, omnis matris viduae cura in eo uer-  
sabatur, ut recte educarentur, Filii, et, salutaribus do-  
ctrinis ad uirtutis cultum, mature imbuerentur. Hi, pro-  
aeta-

\* A. AE. C. clo lo cxxv. Prid. Id. April Dahmae publice pro-  
posuit Progr. ad exercitia Scholastica, quibus piam JESV  
Christi Crucifixi recoluit memoriam, nouemque oratione-  
culis celebrauit. Declamantium ultimus fuit filiolus se-  
ptennis CHRISTIANVS ABRAHAMVS, qui auditoribus  
pro honorifica praesentia gratias egit.

\* Prodiit libellus, qui inscribitur: Genealogische Tabellen  
der Beichischen Familie, ausgefertiget Ao. MDCCIX. ex  
hoc, quoniam in paucorum erit manibus, ea, quae dixi-  
mus, uberior explicabimus. Ihr (ANNA CHRISTINA)  
erster Ebemann Herr Johani Jacob Leschnert, Rector zu  
Dahme, mit welchen sie zehn Jahr eine friedliche vergnügte  
und gesegnete Ehe geführet, starb zu großen Leydvesen nicht  
nur der Seinigen, sondern fast der ganzen Stadt, drey Tage  
nach seinen zurückgelegten 35 Jahre und also sehr frühzeitig.  
Bey dessen Tode viel merckwürdiges passirte ist, z. e. Er sa-  
gte die Stunde seines seeligen Endes des Tages vorher. Er  
führte sonderliche Reden von der Prövidenz GOTTES, über ar-  
me Waysen, und bewies es an sein Exempel: Er mutmassete,  
daß er, wie auch geschehen, in ein delirium fallen würde,  
und legte dannenhero bey noch voelligen Verstande sein Gla-  
bens Bekaueniss ab, und schloß mit diesen Worten: Wo ich  
aus Schwachheit anders reden würde, will ich hiermit voraus  
darwieder protestiret haben.

ætatis ratione, multa bonaæ indolis signa, et scholæ Dahmensis Praeceptoribus, et propinqua cognatione coniungis, dabant, quorum deinceps hortatu mater, cum ultimos moribundi coniugis, de diuina, in parente orbos, prouidentia, sermones, diligentius secum esset recordata, altiori filios disciplinae, et quidem haud inuitos, destinabat. Est profecto instinctus plane diuinus, quo rebus omnibus egentes, ad literarum studia, pleno gradu ingredienda, incitantur. Perspiciunt certas, easque summas, difficultates, quas aerumnosa fors obiicit, nec tam darentur, sed in illo, qui certum egenorum est praesidium, spem ponentes omnem, arduum hoc opus suscipiunt, ac cuncta illis, bene ac feliciter solent euenire. Comprobant id suo exemplo LESCHNERTI, \* et ex his, Ille in primis, cuius memoriam, grati ac pii, recolimus, JOANNES GODOFREDVS. Hic cum, in ludo patro, primam ruditatem, exemplis aetatem, Lyceum, iussu matris, adiit Luccauense. Duces, Praeceptoresque Hampusios, et Schildknechtios est nactus, ac, propter Musicae cognitionem, illis, qui certis modis ac numeris concinunt in choro, iunctus, fortunam suam ita toleravit, ut paupertate magistra, recte obiret partes, cultumque tueretur. Hi praeclara literarum humaniorum notitia instruti, atque adolescentiae, literis erudiendae, scientissimi, illis. Eum Artibus, quibus iuuenilis aetas ad humanitatem solet informari, imbuerunt. Per quinque, et quod exurrit, annos, Luccauiae in studiis humanitatis ac lite-

\* M. CHRISTIANVS ABRAHAMVS natus Dahmae d. xxviii. Nouemb. A. cl. 10 CLXXVII. postea Francofurthi ad Viadrum, Philosophiae ac bonarum artium Doctor, obiit diem supremum A. cl. 10 cc. xxxiii. mense Septembr. Et JOANNES Jacobus n. A. cl. 10 c. xxxix. d. iv. Mart. ex vita migravit Collega iii. Scholæ Dahmensis A. cl. 10 ccxy. d. xxiv. April.

Litterarum, conuictus publici beneficio, quod, in choro  
canentibus, ex legato CATHARINAE REISSIAE, tri-  
buitur, adiutus, diligenter etiam atque etiam est uersatus.  
Haec in nostro Lyceo, in Se collata beneficia grato nun-  
quam non animo est prosecutus. Scimus enim Illum  
HAMPUSII, uel, mutato nomine, CRUCIANI \* Prae-  
ceptoris memoriam, quoties id ferebat occasio, bonis co-  
luisse recordationibus, eiusque doctrinam, fidem, indu-  
striamque, publicis identidem, priuatisque, laudibus ex-  
tulisse. Singulare hoc est specimen pietatis in magistrum,  
ac dignum, quod omnes, in artibus ingenuis uersantes  
imitari decet. Quo magis autem Is perspiciebat, esse li-  
teras humaniores solidum, idque unicum fundamentum,  
quibus totum eruditionis aedificium recte superstruitur, eo

B

di-

\* Non indignum uidetur, hoc loco, B. L. pace, commemo-  
rare, cur hic Cel. Vir HAMPUSII (cuius neptes adhuc  
LUBENAE florent,) nomen mutarit, et CRUCIANI sibi  
indiderit. Huius ipse mutationis causam attulit in libro,  
qui inscribitur: *Epigrammata Sacro-Politica, quae funda-  
menti loco Genesim Mosaicam, non sine eiusdem illustratione,  
substernunt, societati humanae pro pietatis et civilitatis ad-  
iutorio accommodata, opera subcisia M: Christiani Cruciani*  
*P. C. et t. t. S. L. R.*

*A cruce sum dictus, dictusque HAMPVIUS anie.*

*Namque scholae martyr sum CRUCIANVS homo.*

Aerae Christianae Anno cō lo c xxci.

Hanc nominis mutationem defendit in libro;  
CHRISTIANUM ὀνοματοῦ das ist, unterschiedliche  
Nahmens Fragen, welche aus der Haupt Frage, ob ein  
Christ aus christgeziemenden Ursachen seinen Geschlechts  
Nahmen in einen christanstaendigen verwandeln koenne,  
beylaeuftig entsprungen, mit moeglichen Fleiss eroertert,  
und ausgeföhret von Christiano Cruciano Poet. Caef. et  
Lycei Luccani Rect. per XXXII. Annos. Duos hos libros  
MSCt. asseruat schola nostra.

diligentius animum ad eas applicauit, ne immaturus Academiae Candidatus, sibi aliquando, et reipublicae, noceret. \* Relicta itaque schola nostrate, Torgauiam se contulit, et non minori diligentia Cl. Magistrorum STEIN-BRECHERI, et FECKNONIS, scholas frequentauit, studiisque liberalibus, omni animi contentione, est operatus. Poeticae in primis, ac graecae linguae, ad quam naturae quadam bonitate ferebatur, omnem nauauit operam. Cum itaque pares diligentiae, eosque haud vulgares, in elegantioribus literis, talibusque doctrinis, quibus ante excoli animos, et ad sapientiam concipiendam præparari decet, fecisset progressus, et Praeceptorum consiliis, et sua sponte ac uoluntate, virtutis, politiorisque humilitatis, amore inflammatu, nomen Academiae dedit.

Vitemberga, laetissimo scientiarum omnium flore illustris, atque ingeniorm præstantium altrix foecundissima, luueni, adulta, maturaque fullo ratione, maiorem campum, quo uirtus magis explicaretur, auspicato aperuit, idque anno isto faustissimo, quo alterum Seculare sacrum solemni festoque ritu celebrauit, supra millesimum, septingentresimum secundo. Duris initii, et iniqua utebatur conditione, sed alma mater, pro ea, qua in Musarum cultores, quandoque uti solet benignitate, quos bonaे mentis soror, paupertas premit, illum respexit, annuisque beneficiis, quibus Electorales Alumni perfruuntur, subleuauit. Est profecto in hoc luculentum diuinæ illius prouidentiae, quae literarum studiosis, inter tantas angustias, temporumque tot incommoda, subuenit, documentum, quod Deo curae esse, liberales artes ac scientias:

---

\* Consulé FRIED. NICOL. VLICH, Progr. de immatu Academiae Candidato et sibi et reipublicae literariae perniciose Rudolphop. clo lo cc xxxx.



tias non minus, quam uirtuti minime obstat ac officere paupertatem, satis superque testatur. Haec diligentius percipient, et ea penitus animis, mentibusque, mandent, quorum res est angusta domi, et qui spe magis, quam luctantis subsidiis, labores solantur. Quo minus itaque, his studiorum adiumentis subleuatus, cum solicitudine, de quotidiano uictu cogitare, habebat necesse, eo maiorem ad literas politiores, reliquasque scientias, contulit diligentiam. Si quisquam fuit unquam, memor officiorum, quae studiorum causa beneficiis fruentes, debent praestare, ut scilicet, utilissimis doctrinis, ad sacrorum, reique publicae, utilitatem, animum imbuant, uitamque agant, moribus honestis, decoram, \* hic prosectoris fuit. Adiit, quos, ea aetate, uidit Leucorea celeberrimos doctores, et primo quidem artium, ac disciplinarum, Professores, FISCHBECKIOS, BERGEROS, SCHROEEROS, ROEHRENSEOS, et SCHURZFLEISCHIOS. Est Philosophia animi cultura, haec praeparat, CICERONIS utor uerbis, animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quae adulta, fructus uberrimos, ferant. \*\* Summa itaque assiduitate, et diligentia, omnes Philosophiae partes attigit Noster, probe perpendens, totam illam frugiferam esse, et fructuosam.

In hac autem Philosophorum disciplina uersans, minime literas, quas humaniores vocamus, neglexit, in quibus consilium et sententiam SCHURZFLEISCHII et BERGERI, qui magnum nomen in oratoribus habuerunt,

B 2

est

\* Confer, si placet, Praeceptoris nostri pie colendi, Philosophi illius Lipsiensis, JO. FRIED. MAII Progr. de officiis eorum, qui studiorum causa; beneficiis fruuntur Lipsiac clo lo CCLII.

\*\* Cicer. Tuscul. Quæstion. Lib. II. c. V.

est fecutus. Horum uberrimis ex fontibus riuos, in hortulos suos, deduxit, haustisque genus dicendi bonum atque ornatum.

Diu in obscuero uirtus, et assidua diligentia, nuncquam latet, sed, ut publica industriae edat specimina, in eo elaborat. Idem fecit Noster, et ex disciplinis, a quibus recta et publica uitae initituta proficiuntur, disputationem, non sine applausu, defendit, *de legis naturae indispensabilitate* IV. Non. Mai. A. O. R. clo lo ecv. arbitro certaminis, M. HENRICO GOTTLIEB SCHNEIDER. RQ \*

Sacrarum literarum notitia a Doctoribus Theologis, de coetu puriore immortaliter meritis, HANNENCKENIIS, LOESCHERIS, NEUMANNIS, WERNSDORFFIIS imbutus est, quorum commentationes pronis auribus, prompto animo, exceptit.

Summis deinde, in Philosophia, honoribus, operam dedit. Solent, maiora spectantes, et ad ea, rectis studiis, contendentes, praemia, a prudentibus, constituta, minime aspernari, sed modeste potius eadem petere, iisque sapienter uti. Honor enim artes alit liberales, ac efficit, ut literarum studia, assiduis cultoribus, maxime fructuosa existant. Sic nec diurnus, nocturnusque, Nostri, labor promeritis caruit praemiis. Dignum enim illum Inclytus sapientum ordo habuit, quem laurea Philosophica, sapientia uenali, ornaret. Hic honor in illum a Senatus Philosophici Praeside, CHRISTIANO ROEHRENSEO,

PHI-

---

\* Vedit hunc, Luccauia nostra, Doctorem Theologum, recti exempli emendatorisque disciplinae Pastorem Primar, et Lycei Inspectorem.

Philos. Practic. Prof. Publico, et Vlumnorum Eleitoralium  
Ephoro, Prid. Kalend. Maias A. R. S. clo lo ccv solemnis  
ritus, ac formula, est collatus. Ingenuarum artium magi-  
ster creatus, quantum animo potuit contendere, tantum  
efficere studuit, ut digna, et hoc honore, et Amplissimi  
ordinis exspectatione, efficeret. Insidet enim, CICERO-  
NE teste, quaedam in optimo quoque uirtus, quae noctes  
et dies animum, gloriae stimulis, concitat. Feliciter hoc  
cessit Nostro, laudatissimoque, ad maiora entendi, ca-  
natur, studioque, omnium benevolentiam, est promeritus.  
Dissertatione itaque Hypomnematica ~~ANON~~ Praeside JO-  
GUILIELMO BERGERO Poet Prof. Publ. A. D. III. Non.  
Maias A. clo lo ccv. edifferuit, et hac ratione Illustrem  
hunc uirum, non tractandarum modo humaniorum litera-  
rum ducem, sed etiam testem habuit atque aplausorem.

Quum igitur in artium studiis liberalissimis dñs esset  
uersatus, eximiasque, doctrinae, opes collegisset, sapien-  
ti cogitauit ratione, quemadmodum eas, in iuuentutis  
studiis doctrinisque deditae, commodum expromeret, in-  
genique uires experiretur. Id semper diligentiae, uigilia-  
rum, laborumque praemium est habitum, si quis, altiore  
rem docentium locum conscendendi ius accepit, potesta-  
temque, ut doctrinae, scientiarumque, lumen alijs possit  
praeferre. Conscendit Noster cathedram, ipse Praeses,  
Academicam, diuulgata dissertatione, Prid. Id. April.  
A. O. R. clo lo ccx. de lotione manuum innocentiae signo, occa-  
sione facti Pilati Matth. c. XXVII. comm. 24. quam sub eius  
praesidio defendit HENRICUS GOTTLIEB WAGNER.  
Aperuit etiam, omnibus satis probatus, scholas et philo-  
sophicas et Philologicas, doctorisque publici, ita perfun-  
ctus est, munere, ut uel magni nunc nominis uiri, ad la-  
tus eius, in preelectionibus Academicis confesasse, magna  
fibi

sibi laudi ducant, Illiusque institutioni se multnm debere,  
aperte et ingenue confiteantur. Hoc modo operaे Eius,  
otique, rationes publice constabant, ingeniumque Eius,  
in docenda, et erudienda, iuuentute, non minus, quam  
in disputando elucebat, qua de causa locum, industria sua  
et assiduitate dignum, in sapientum ordine, est assecutus.

Neque ita multo post Venerando Theologorum or-  
dini, quantos in illorum scholis, in rebus sacris, fecerit  
progressus, in examine, publice instituto, est restatus, et,  
cunctis suffragiis, in numerum Theologiae Candidatorum  
est relatus. Hanc S. S. Theologiae Candidati dignitatem,  
quanta studuerit industria tueri, declarat Inculentum, quod  
sua industria conscripsit, doctrinae specimen, in quo, Prae-  
side GOTTLIEB WERNSDORFFIO, Doctore Theologo  
et p. p. *Ius Magistratus circa uocationem ministrorum Ecclesiae*  
a. d. XIV. Kal. Febr. cl<sup>o</sup> lo cc xv. defendit.

Praeclare oratorum princeps, in oratore, inquit,  
profecto inest omnis Philosophorum scientia. Haec, cum  
noster optime sciret, tum denique, posteaquam principum  
Philosophorum percepta habuit praecepta, in publi-  
cum prodiit, ac, se SCHURZFLEISCHIANAE disci-  
plinae alumnum, omnibus ijs artibus, quae libero homine  
sunt dignae, perpolitum, demonstrauit. Funebrem ha-  
buit laudationem in exsequiis M. Georgi Friederici Thryl-  
litii Rhoda-Misnici XVI. Kal. Mai. cl<sup>o</sup> lo ccxv. quae, cura  
et uigiliis elaborata, typis est exscripta. Prodiit non ita  
multo post, et memoriam Friederici Principis Saxonis,  
Herois uirtutum, rerumque gestarum gloria immortalis,  
Dahmæ A. D. XVI. Kal. Maias A. R. G. cl<sup>o</sup> ls ccxv. bene  
beateque defuncti, in publica Panegyri Vitembergæ Sa-  
xonum, in templo arcis, ipso die solemnium, Dahmæ

in-



Institutorum, pie religioseque prosecutus est. Non trans-  
funda laus est, quam Nostro tribuit scriptum, publica,  
propositum, auctoritate: Vir Clarissimus **JOANNES**  
**GODOFREDUS LESCHNERTUS** Dahma Saxo, libe-  
ralium Artium Magister, loci, quem, in sapientum ordi-  
ne adscriptus uirtute, doctrina, industria, tenet, honore  
dignissimus, ac nobis, ob morum grauitatem, sedatum  
uiuendi genus, honestissimum, de iuuentute Academica,  
bene merendi, studium, scientiam, in uario, exquisito-  
que doctrinarum genere, spectatam, maiorem in modum,  
commendatus. Hic enim pietate atque admiratione, qua  
prosperam fortissimi quondam sapientissimique principis  
memoriam prosequitur, ductus, ornamenta, quibus ex-  
celluit, Ille solemni atque eleganti oratione enarrabit, quan-  
tumque sit acerbissimo eiusdem obitu amissum, grauiter  
ornateque explicabit. Vitemb. VII. Kal. Quintil. A. R. G.  
clo lo ccxv. Haec Oratio Panegyrica, Serenissimae Viduae,  
Aemiliae Agneti dedicata, ob elegans politumque dicen-  
di genus, quo Ille est usus, lectu est dignissima.

Anno, qui illum proxime insecurus est, sexto et  
decimo, Ei contigit, ut ab inctyo sapientum ordine  
Philosophorum Praeses, qui Decanus est, rite crearetur.  
Summis his ordinis sui honoribus ornatus, licet multis  
negotijs esset implicatus, labore tamen assiduo, et quoti-  
diano, assuetus, edidit dissertationem: *De baptinate Vicar-  
rio Marcionitarum Contra GODOFREDVM ARNOLDVM*, quam  
Respond. M. JO. Gottlieb Stich Kirchhayn-Lusatus defen-  
dit IV. Non. Octobr. Ad Philosophiae, et Poeticas, lau-  
reas rite expertandas, Candidatos bene merentes, pro ea,  
qua pollebat, auctoritate, inuitauit, scripto publice pro-  
posito: *De Decanis coelestibus Astrologorum*. Hoc facto die  
XVII. Octobr. ejusdem anni, summa honorum praemia  
distri-

distribuit, ac, bonarum artium doctorum, renunciatione suam  
non minus, quam ordinis sapientum dignitatem, amplificauit.

Annus ille, quem, ob restaurata sacra, coetus purior,  
seculari, ac religiosa, celebravit, solemnitate, et indefessae eius  
diligentiae, et diuinae prouidentiae, quae uirtutibus, et doctrinae,  
praemia et honores largitur, est testis. A Serenissimo enim  
Principe Saxone, FRIDERICO, Professoris prouincia, in illus-  
tri Gymnasio Gothano, est ornatus, quam non praeposta  
prensatione, sed, studio ac commendatione uirorum, optime  
de Leschnertianis, in iuuentutem Academicam, publicamque  
literariam rem, meritis, exsistimantium, est nactus. Ex multis  
diebus quos ls in uita celeberrimos laetissimosque uiderat, hic  
clarissimus erat, quo ille honos, illud uirtutis, ac lucubrationum,  
praemium, Ei est delatum. Inuenit, munus hoc capellens,  
**GODOFREDUM VOCKERODTUM**, illustris Gymnasi Go-  
thani Rectorem, Virum nomine et memoria dignum, uirtutum  
suarum, et eruditio[n]is, p[re]aeconem, quae profecto laus ipsi eo  
esse poterat jucundior, quod a viro, qui ipse in laude uiuebat,  
proficisci[ebatur]. Non possum mihi temperare, quin ex scri-  
pto, \* eo tempore, publice, Gotha, proposito, laudes, No-  
stro tributas, repeatam:

Professoris nomine et honore

**Ornare Primae classis cathedram iussus est**

Per tria lustra, et quod excedit, in Academiis praeparatus  
ac discendo docendoque habilis redditus ad sustinendum  
cum discentium fructu non minus quam applausu  
munus Doctoris scholastici

Vir Clarissimus atque Amplissimus

**JOANNES GODOFEDVS LESCHNETVS**

Dahmensis Saxo

PHILOSOPHICI ORDINIS spectatus in gradibus omnibus  
Probatusque documento publico SS. Theologiae

CANDIDATVS

nuuc autem iubetur esse

CLAS-

\* Inscribitur illud: Restituta et renouata sub serenissimi Patris  
Patriae Natalem Illustris Gymnasi Gothani auspicia P. P.  
Gothae VIII. Augosti cl 10 ccxvii.

## CLASSIS SELECTAE PROFESSOR.

Orationem solemnem, primordii, auspicato capiendi, causa,  
more institutoque maiorum, IX. Augsti A. O. R. clo 10 ccxvii.  
habuit, in qua, a Sererissimis Saxoniciis ducibus, profecta in  
rem literariam, et Gothanam, pietatis et literarum officinam,  
beneficia praedicavit.

Init hoc factō munus, a Deo, et Principe, assignatum,  
et quo maiorem in illo, et laudis, et laboris, materiam inue-  
niebat, eo erat cupidior, ut famam, quam honestis laboribus,  
uigiliisque, sibi in Academia, comparauerat, augeret, ac eo  
magis, de omni liberali doctrina, mereretur. Hoc eo facilis  
poterat perficere, quo diuturniore consuetudine ad laboris ma-  
ximos, non sine coelesti aliquo mentis instinctu, concitabatur,  
ut fidem amoremque Deo, ac iuuentuti operam abunde testa-  
re tur. Consignantur atque publicantur, iussu Serenissimi NU-  
TRITORIS Lectionum, atque exercitationum, publicarum,  
priuatarumque Catalogi in Illustri Gymnasio Gothano. Hi pre-  
lectionum, et publica lege ordinatarum, et priuatarum, quo-  
tidie ab illo habitarum, testes sunt locupletesaeque, ac religiosi.  
Nihil itaque commemorabimus, de eius assiduitate in tradendis  
linguarum, et Graecae, et Latinae, elegantii, ad puriorem  
caesioremque scribendi dicendique rationem facientibus, nec de  
evidentia, qua uarios orientis thesauros suos propositi Nihil  
in medium proferemus, de jucunda multarum rerum uarietate,  
qua historias, ex rerum gestarum monumentis haustas, suis ex-  
posuit, ac illud praeципue, quod in cognitione rerum est salu-  
bre ac frugiferum monstrauit. Nihil edifferemus, illum,  
toto tempore, Eloquentiae, tam solitae, quam ligatae, partes  
ita explicuisse, ut formare orationem, eamque uariare, et quasi  
quibusdam uerborum sententiarumque insignibus distingueret  
auditoribus, praecepta traderet faciliora. Nihil denique affere-  
mus, de fide et perspicuitate, qua omnes philosophiae partes  
non explicauit modo, sed crebrius etiam illud differendi exer-  
citium, de doctis rebus, quod maxime ad acuenda iuuenum  
ingenia est aptum, instituit, ut opportunius illorum commodis  
atque utilitati seruiret. His autem praeceptis imbutos, quod  
omnium est maximum, suo exemplo, confirmauit. Hoc, si  
quid aliud, hoc est non tam de adolescentibus, de quibus bene

speramus, quam de ipso genere humano, cui omnis felicitas, ex diligentiori literarum cultura accedit, bene promereri.

Subinde, cum muneris ratio exigeret, Programmata edit, orationesque et carmina publice recitauit. Tua, L. B. pace, ea, quae in manibus habemus commemorabimus, eum in finem, ut nostri, Leschnertiana, in literariam rem, merita, co dilucidius perspiciant, ac pie uenerentur.

In obitum Cel. GODOFREDI VOCKERODTI, illustr. Gymnasi Gothani Rectoris, cuius supra fecimus mentionem, Programma funebre scripsit A. O. R. clo lo ccxxvii.

Laudationem funebrem in exceſsum Perillustris Domini GEORGII ERNESTI de ZEHMEN, Serenissimi principis Srxo-Gothani supremi Aulae Mareschalli, redditum in principatu Altenburgensi prouincialium Directoris &c. edidit, qua summus ille in toga Heros cum *Catone minore* confertur, et, ut iusta faciant, Maecenati, Scholarchaeque suo Ill. Gymnasi Gothani ciues admonentur.

Eodem Anno in Natalem Serenissimi Duci FRIDERICI II, uacante Rectoratu Programma edidit de FRIDERICI Sapientis Saxon. binis Apophthegmatibus.

In Panegyri ob auspicatissimum connubium Serenissimi FRIDERICI, tum principis heredis, iam Duci Regentis, cum LUDOVICA DOROTHEA d. XVII. Septembr. A. R. G. clo lo ccxxix in Ill. Gymnasio Gothano pie ac religioſe celebra-*ta, ritum illum praeforendi taedas in pompa nupciali*, carmine lati-*nico Heroico decantauit, acclamationibusque uotiuis prosecutus est tanti splendoris solemnia.*

Secularem intemeratae Augustanae confessionis natalem solemnni ritu XXVIII. Jun. A. clo lo ccxxx celebrauit, orationemque habuit, de pia et religiosa Joannis Constantis prudentia in negotio exhibitae confessionis formulae.

Natalem felicissimum Serenissimi Principis FRIDERICI III rite celebraturus fausta et felicia omnia ex auspicatissimo die natali Serenissimi Principis haeredis FRIDERICI III. Duci Saxon. Gothani d. XX. Jan. H. A. nati coram illustri Panegyri in Gy-  
mnas-

mnasio Gothano D. V. Maii A. O. R. clo lo cc xxxv ex prompta  
memoria decantauit.

A. clo lo cc xxxx cum Typographorum laude dignis Germanicorum certaretur studiis, artis suae, a maioribus ingeniose non minus, quam feliciter iuuentae, tertium, solemni ritu, secularum celebrandi natalem, eum carmine Graeco, in sylloge Reyheriana exscripto, celebrait.

Non dubito, fore nonnullos, qui, libros ab hoc magna doctrinae, multaeque lectionis, nec minoris existimationis, Viro non esse editos, mirentur, his, non meis utens, sed Cel. THEOPHILI GRABENERI, Illustris Afranei quondam Rectoris, uerbis, respondeo. Ille, *Caput*, inquit, *officiorum probo cuique semper uisum est, quae magistratus imposuit partes, pro eo, ac possit, solerter sustinere. Quod dum facit, dumque publice ac priuatim, instituendis et exercitandis adolescentium ingenii, limandis poliendisque scripturis, consilio et opera adest, efficit dies alienis, externisque laboribus haud sufficiet, idque unum manet umbratilis studii solarium, rectius consuli reipublicae, si uiuas, spirantesque bibliothecas, qualis Longinus fuit, instruamus, quam si mutas expertesque uitae, scriptis aliquot, nec placitulis forte, libris augeamus.* \* Idem Noster, laudandum in modum perpendit. Omnes enim bene animati, ac aequi rerum existimatores testantur, illum in eo semper elaborasse, ut inter numeris se, quod respublica imposuerat, limites contineret, et nullum non tempus literis ac iuuentuti daret studiosae.

Continuata laborum fide, indefessaque diligentia, se nunquam remittens, consenuit in Illustri Gymnasio Gothano. Per tringita enim annos, Iuuentutem, iis artibus, quae, ad politiorem humanitatem, spectare uidentur, erudiuit, tantaque fide atque industria istam exornauit prouinciam, ut multa praelatura ingenia, Eius quasi manu facta, amplissimis perfungantur honoribus, et hunc sibi principem et ad succipiendam et ad ingrediendam studiorum rationem, grata pietate, profiteantur. Me-

C 2

ren-

---

\* Haec Praeceptor noster, post fata uenerandus, in erudita Praefatione, quam praemisit Joannis Barclaii Iconi Animorum Lips. clo lo ccxxxiii.

fentur profecto scholarum Doctores, bene de literis, bene de genere humano promeriti, tanto maiorem laudem, quo insigniora ex magnis illorum, ac saepius molestis, laboribus, quos quotidie exantent, est necesse, in rem publicam, commoda redundant. Idem nostro feliciter euenit. Commemorare summa Serenissimi atque Indulgentissimi Principis Saxo-Gothani beneficia, quae apud illum bene sunt posita, Historiographique Saxonici Gothani honores, quibus Dominus Clementissimus, senio uenerabilem, uoluit ornatum, nisi uel ipsum Eius monummentum id religiosissime testaretur. Hoc autem mihi sumo, ut pro salute optimi maximique Principis FRIDERICI, pro incolumentate totius Domus Saxo-Gothanae, tot tantisque, in omnem rem literariam, meritis inclutae, DEVU comprecer, ac uota nuncupem ardentissima.

Redeo ad Nostrum. Hic cum modum tenerer in cibo, et potu, haud quidem morbis fuit tentatus, ex multis autem laboribus, uigilirsque, corpus debilitarat. Senxit itaque languorem senectutis communem, et accidente, tandem, morbo acriori, subsidiis, quae sacra Christiana, pietas, ac fides in humanae salutis statorem, maxime ad bene beateque moriendum suppeditant, munitus, uitam, in literariis laboribus, occupatissimam, posuit XI. Kalendas Decembris, Anno supra millesimum Septingentesimum Septimo et quadragesimo, ac cum meliore, et sempiterna, commutauit.

Vixit LESCHNERTVS annos sex et sexaginta, et sic Se gessit, ut omnem uitiae cursum in labore corporis, atque in animi, conficeret, contentione. Semper summum illud Numeri religiose est ueneratus, et prout, studiorum suorum ratione, rerum coelestium intelligentiam profitebatur, ita pari sanctimonia, emendatoriique disciplina, illam exprimere uita studebat. Coluit summa ueneratione Principes Serenissimos. Fuit singularis Eius in matrem uiduam, quoad uixit, pietas. Scimus enim illum, suis, aliorumque, auxiliis, destitutam non deseruisse, sed singulis fere annis expectatissimo suo aduentu, alloquoque recreasse, ac insuper, id quod maximum est, decrepitam largioribus dapibus et ministerio refecisse. \* Amicis, priscae in primis fidei diligens,



Iubenti, officia, animo praestitit, nullamque, de singulis bene  
promerendi, ex manibus, dimisit occasionem. Erat a fastu et  
arrogantia alienissimus, cultuque corporis tam deditus, quam  
illi solent, qui, uirtutem laboremque uoluptatibus anteponunt  
et se ad altiora esse natos, probe expendunt. Erat, ut multa  
paucis complectar, summae integratis.

Quietum illud, et solitariuin, uitae genus, maxime in  
deliciis habuit, quo, liberiori animo, sibi tantum, suisque Mu-  
sis, uiuere posset. Id enim sedulo cauit, ne crebrioribus se  
amicorum daret salutationibus, ac, hoc modo aliquid, quod  
ad requiem ex laboribus conceditur, temporis, studiis,  
suis subtraheretur. Ea uiuendi ratio, humaniorum, studiis, li-  
terarum deditis, nullo non tempore, fuit propria, quippe qui  
istam solitudinem, in qua quis minime est solus, cum est solus,  
iis, qui uulgo sunt, congressibus anteposuerunt. In eruditio-  
rum autem societate, collocutionibusque, singulari praeditus  
modestia, pauci, quod sapientis semper est habitum, erat ser-  
monis. In primis autem LUDWIGII, CYPRIANI, LOEWII,  
Theologorum Gothanorum, de sacris, et re publica literaria  
immortaliter meritorum, per honorifica conuentudine est usus,  
quorum primi, Patroni, Hospitisque sui, obitum ode, luxit,  
parentali. \*\*

Matrimonij quidem legibus uitam non circumscriptis,  
coelibatus praeoptans tranquillitatem, stirps tamen illi deesse  
non potuit. Tot enim filios quotidie et uidit, et amore, uere  
paterno, est complexus, quot scholas Eius frequentarunt. Imi-  
tatus est in hac coelibe uita tuenda, non multos solum, magni  
nominis, scholarum Magistros, sed illos etiam, qui posterita-  
tem suam, in libris superfuturam, existimauunt, uirtutisque  
famam, ac meritorem memoriam, apud omnes duraturam. \*\*\*

\* Vid. Epist. consolationis gratia ad B. Leschnertum data Go-  
thaec clo 10 ccxv. mense Decembri.

\*\* Gothae Prid. Non Januar. A. O. R. clo 10 cc xxxiii. Com-  
parat haec Summum hunc uirum cum Joanne Chrysosto-  
mo.

\*\*\* Confer. de his, si placet, Jrenaei Carpenterii *eruditorum  
coelibum centuria singularis* Vitemb. A. clo 10 cc xiv.

Nunquam satis laudando instituto in Bibliothecam, quae, usibus Scholasticis, estet accommodata, omnem suum im- pendit, et quicquid, multis partum laboribus, suum defrau- dans genium, unquam comparserat, insumisit ac profudit in libros. Histotus immersus, omne tempus, omneque studium, eo contulit, ut illa colligeret, quae, iuuentutis studiis, pos- sent prodeesse. Non enim, quod multi solent, ad ostentatio- nem, sed ad perdiscendas artes, ac perpoliendas, illis est usus, qua de causa non in scientiarum cortice haesit, sed in medul- lam, nulla non suavitate plenam, penetravit. Haec est illa Bibliotheca, cuius succo, tanquam quodam doctrinae pabulo, sua semper studia aluit, illaque ita est delectatus, ut proficien- dum, ac cauendum, constitueret, ne post obitum suum, di- straheretur, sed potius, usibus publicis, destinaretur.

Accedit Huic, quod, iuxta TULLIUM, \*neinini non, liberaliter educato, ut Ei locus ille mutus, ubi Ipse altus, atque doctus est, cum grata recordatione in mente uersaretur. Sua itaque sponte, Luccauensem, quae prima, aetatem Eius iuuenilem, artibus ingenuis instruxit, et, ut supra iam com- memorauimus, aluit, scholam respexit, almaeque huic matri amores suos, ac unicas uitae delicias, legauit. His autem uer- bis ultimae uoluntatis sanctitatem est testatus:

Meine Bibliothec, so ich über 2000 Thaler schaeze, vermache ich der Schulen zu Luckau in der Nieder Lausiz.

Res quidem post obitum VIRI huius, immortaliter de Schola nostra meriti, multum difficultatis habuit, et laboris; sed DEI immortalis, cuius siue Numine nihil humanarum rerum geritur, prouidentia, SANCTIORISQUE, qui Lubenae est, SENATUS studio et auctoritate, ac Scholae huius PATRONORUM, AM- PLISSIMI, nempe, SENATUS Luccauiensis cura, iste rei li- brariae thesaurus, Luccauiam est translatus. Nunc PATRO- NI, quos pie colimus, omnem adhibent diligentiam, ut con- fectis

---

\* Cicer. Orat. pro Plancio c. 33.

fectis, in aede sacra primaria, forulis, usibus publicis, quod  
felix sit, faustum ac salutare scholae nostrae, possit dedicari.

Habet igitur, quod, in pio ac liberali animo, B. LESCH-  
NERTI, admiretur Luccaui. Schola habet, quod summis ef-  
ferat laudibus. Praedicamus iure ac merito insignem hanc bo-  
nitatem, et illa, quamdiu nostrorum hominum genus erit,  
quamdiu haec stabit pietatis, ac bonarum artium, officina, praed-  
dicabitur, amplissimisque consecrabitur monumentis.

Adiicienda nunc essent, maiorum more Elogia, quibus  
Nostrus a summis Viris est ornatus. Longum foret, ea trans-  
scribere, nec paginae angustia permitteret. Postulat autem pie-  
tas, ut Elogium funebre ab Ill. Gothani Gymnasi Rectore, illu-  
stri laude celebrato, JO. HENR. STUSS, memoriae B. LESCH-  
NERTI, totius Collegii Nomine, consecratum, repeatam.  
Continet enim illud, non cuncta solum, quae haec tenus com-  
memorauit, breuiterque, et uelut in conspectu, exhibet, sed  
etiam Nostrum, cum COLLEGIS Praenobilissimis ac Praeclari-  
ssimis, quae non ultima laus est, pro fortis necessitudine ui-  
xisse, amoremque sibi ab omnibus conciliasse, testatur. Hoc  
autem cultissimo carmine, iusta, Ei fecit, Vir Celeberrimus:

Ille excitatus atque strenuus quondam  
Primis ab annis, parua quem tulit Dahma,  
Ille acer usque miles in Camenarum,  
Latium omne priscum, Graeciamque et Hebraeae  
Remota gentis peruagantibus castris:  
Ille aestimatus, amplius tribus lustris,  
Leucoreos almae, Principumque magnorum  
Donis adauctus, praemissisque uirtutis  
Ardentioris haud parum enitens ciuis:  
Felix alumnus ille et aemulus laudis  
BERGERIANÆ, amoenioris in campo  
Humanitatis: et, Sionis in circo,  
WERNSDORFIANÆ; in illa et arce Musarum  
Inter docentes scriptus, et locum exornans

quon-

Quondam ore prompto, et elegantibus chartis  
Varia refertis abditaque doctrina:  
Suo ille fato, et inde lustra sex lapsa,  
Delatus hancce in artium eruditarum  
Claram palaestram, culta quam fouet **Gotha**,  
Probeque lenta exercitatus in lucta,  
Socia nec unquam recreatus, aut prole;  
Tandem labore, quo iuuenta formanda,  
Illudque saxum Sisyphi usque uoluendum,  
Fastidiorum saepe pleno, et irarum,  
Fractus, fatiscens, atque anhelus exsolui,  
**LESCHNERTUS**, ecce missione iam gaudet,  
Plena, beata, athleta ceu coronatus!

Ergo coronam gratulemur athletae,  
Palmamque, nunc feliciter reportatam,  
Post absolutum strenuum illud in castris  
Mularum ad aeque, ac **OPTIMI REDEMTORIS**  
Certamen, atque cursum ad astra confectum,  
Per asperas tot urbis huius aerumnas;  
Meritasque laudes diligentia docta,  
Fida, tot annis publice salutari,  
Victura in ore famae, et omnium illorum,  
Quos perpoluit elegante doctrina,  
Bene grata mens memorque queis magistrorum  
Manet, sonante uoce concelebremus!

Ideem nunc persoluemus officium. Venio enim ad  
eos, qui diuini Numinis, Lyceum nostrum singulari cura  
complectentis, prouidentiam uenerabuntur, immortalia-  
que B. Leschnerti merita, religioso, ac grato, animo ce-  
lebrabunt. Non hoc quidem sibi sumunt, ut eloquen-  
tiae, pietatis tamen, ut mereantur laudem operam dabunt.  
Su-

Suscipient illud Juuenes, egregiis animi dotibus, ornati,  
et non vulgaris spei, atque exspectationis.

## JO. GOTTLLOB HERRMANNUS

NEUDECCA - SAXO

*Varias perennis famae causas explicabit, Patronorum-*  
que benevolentiam dicturis conciliabit

## CHRISTIANUS ADOLPHUS LICHTEMANNUS

LUCAUENSIS

Adoleuit in Lyceo nostro, et bene quidem adolevit. Hic prout ingenii felicitate floret, ita ingenuae, et liberalis, doctrinae rectam uiam feliciter ingressus est, ac continuato diligentiae curriculo, in linguis Latina, Graeca et Hebraica, nec non Gallica, optime profecit. Poeticam, ad quam natus uidetur, diligenter exercuit, ac in ista publica dedit specimina, aliisque, quae in scholis hau-riuntur, artibus, uacauit. Speramus itaque, fore, ut diligentiae fructum, aliquando consequatur, amplissimum. Faxit Devs immortalis, ut Maxime Reuerendo Parenti, Lycei nostri Inspectoris Grauissimo, diutissime incolumi, omnis ea laetandi materia enascatur, quae ex incolumitate liberorum, qui cum uirtute fortunam adaequant, ad optimos Parentes, solet redundare. Decantabit carmine Heroico Latino laudes B. LESCHNERTI, praemissa oratione Graeca, *de elogiorum inuentoribus*, Teutonico autem carmine Patronis ac Praeceptoribus uale ultimum dicet.

## ADOLPHUS GODOFREDUS FLECKIUS

SCHLIEBENA - SAXO

D

Par-

Partibus suis dextre, atque ex re sua, persunctus  
est in Lyceo nostro. Hebraicae, Graecae, et Latinae  
linguae, Poeseos, aliarumque, ad quas schola recludit  
aditus, scientiarum, haud sfernenda posuit fundamenta,  
nec non Gallicaem, feliciter, linguae studuit. Hic semper  
probi, modesti, ac diligentis, discipuli laudem prome-  
runt. Precamur Deum, ut a spicato, scholasticorum stu-  
diorum curriculo pedem efferat, et ad ueram eruditionem,  
recto itinere, contendat. Ultimi speciminis loco dicet  
oratione latina soluta de non nullis, qui Bibliothecas suas, usi-  
bus publicis scholasticis, dicarunt, et nominis commemorationem,  
cum omni posteritate, adaequarunt. Patronis ac Praecepto-  
ribus, pium ac gratum animum, carmine Germanico, te-  
stabitur

JO. GUILIELMUS DRABITIUS  
CALOUIA - LUSATUS

Oratione Latina soluta planum faciet illud Frontini  
dictum: MEMORIA NOSTRA DVRABIT, SI VITA MERUL-  
MUS.

CAROLUS GOTTLIEB ROTARIUS  
DOLAENICIO - LUSATUS

Recitatit carmen germanicum, argumentisque con-  
firmit, *beneficos aeternam sui memoriam mereri.*  
Abituris autem nostro, et totius scholae, nomine, fau-  
stos felicesque rerum successus, prolixe precabitur, illos-  
que sinceris uotis, carmine germanico, prosequetur,

CHRISTIANUS AUGUSTUS MICHAEL  
HERRMANN

NEUDECCA - SAXO

Acce-

Accedite itaque PATRONI, ac literarum FAUTORES, pie obseruanterque colendi, crastina luce H. L. Q. C. ac diuinam illam, in Lyceum hoc, religiosa mente, prouidentiam concelebrate, B. LESCHNERTI, immortaliter de nobis meriti, nomen aeternitati mandate, ac, pro huius scholae salute, atque incrementis, ritu tua nobiscum facite, solemniori. Accedite, quaeſo, ut VOBIS pro nouo hoc beneficio, ampliſſimis uerbis, debitas, easque maximas, gratias agere poſſimus. Hoc VOS, more noſtro, enixe ac perofficioſe rogauius. P.P. Luccauiae Prid. Id. Februar. A. R. G. clo lcc LVI.



ANATOLIUS PATRONI CLEOPATRA  
HOC EST LIBERUM INGENUUM IN VITAM  
LITERIS ET SCIENTIAZ INGENUUS  
BUTCHINERI  
VITAM INGENUUM IN VITAM  
ACCEPTE DILECTIO MATERIA  
MAGISTER IOACHIMUS PONENS  
HEC  
PROCESSIONE LIBERI IN HOC TERRA  
A R G O D E C E T A R




7c 3625 OK



n.5





QK. 254. 12, 401

# ELOGIVM M. JOANNIS GODOFREDI LESCHNERTI

HISTORIOGRAPHI QVONDAM SAXO-GOTHANI, AT-  
QUE PROFESSORIS EIVSDEM GYMNASII CLARISSIMI BIBLIOTHECA  
SVA POST VITAM SUPERSTITE

SCHOLAM LVCCAVIENSEM

EGREGIE ORNANTIS  
PVBLICE PROPONIT

ET

PATRONOS AC LITERARVM FAVTORES

AD ORATIONES

EIVS

MEMORIAE SACRAS

Ips. Idib. Februar.

A. O. R. ab 15 CC LVI.

BENEVOLE AVDIENDAS

DEMISSE AC PER OFFICIOSE INVITAT

GOTTLOB HENRICVS SCHMERBAUCH R.

LVBBENAE

TYPIS JOANNIS MICHAELIS DRIMELII.

